



Disputatio juridica inauguralis de compensationibus

<https://hdl.handle.net/1874/342354>

43.

DISPUTATIO JURIDICA
IN AUGUSTALIS,
DE

COMPENSATIONIBUS,

QVAM,
DIVINO FAVENTE NUMINE
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. M. JOANNIS LUYTS,

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

UT ET

*Amplissimi Senatus Academicci consensu, Nobilissimeque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privi-
legiis ritè, & legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit,

RUTGER VERBRUGGE,

A. D. 18. Decemb. hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc Ioc LXXXVIII.

*Nobilissimo, Amplissimo, ac Gra-
vissimo, VIR O,*

**D. D. GUILIELMO
VERBRUGGE,**

J. C. Reipublicæ Zelandicæ
nomine ad Cameram Ratio-
num Fœderati Belgii delega-
to, Parenti suo amantissimo
filiali amore in æternum co-
lendo, venerando.

*Hanc Disputationem Juridicam In-
auguralem*

Offert & inscribit

RUTGER VERBRUGGE,

AUST.



DISPUTATIO JURIDICA

I N A U G U R A L I S,

D E

COMPENSATIONIBUS.

THEISIS I.



Compensationis materiam occasione nostri conatus enucleaturi pauca de nomine præmittemus. Quod ad vocis originem attinet, Compensationem ab antiquo æris appendendi more dictam esse, auctor est Donellus antequam enim signarentur nummi veteres æs & argentum rude sibi invicem appendebant. Dicitur igitur Compensationem quod singuli cùm pensant sive unâ invicem pensant & quasi in una lance appendunt, ut æqua præstatio fiat, & quantum præstetur tantum rependatur. Hæc autem in jure nostro quatuor potissimum modis sumitur vel 1. generalissime, pro omni adæquatione & collatione, ut in societate bona communia facta conferuntur & partes lucri & damni compensantur §. 2. Inst. de societ. vel 2. generaliter, quando pro deductione & retentione unius pro alio accipitur l. 39. ff. de pign. act. l. 6. C. de R. V. l. 18. §. 4. ff. commodat. l. 39. §. 14. ff. de administr. tut. l. 96-

A 2

§. 3

DISPUTATIO JURIDICA

§. 3. in fin. de solut. l. 38. ff. de jur. dot. l. 85. ff. de legat. 2. vel 3.
specialius, pro renumeratione ministeriorum, l. 2. C. de aliment.
pupill. prestat. reparamine expensarum l. 7. C. de postlimin. revers.
& restitutione damnorum l. 8. C. de locat. cond. vel 4. Specia-
lissime, pro mutua petitione l. 6. C. h. t. uti & in l. 1. ff. h. r.
& hic consideratur

I I.

In hac significatione definitur *Compensatio*, quod sit, *de-
biti & crediti inter se contributio*, quæ nihil aliud est, qnam li-
beratio ab ære alieno, per æris sui computationem, ita ut,
quod alicui creditum est, id jam ipso jure ob mutuas obliga-
tiones deberi definit. Eamque ut ordine excutiamus, vide-
bimus primò quibus jus compensandi competat, & deinde qui-
bus in causis compensatio detur, & denique quis sit compen-
sationis effectus.

I I I.

Et quidem omnibus quibus debetur aliquid, si illi vicissim
debitoribus suis debeant, jus compensandi datur: cujuscun-
que hi mutuò debitores fuerint conditionis ac ætatis: Unde
& pupilli a tutoribus eorumve nominatoribus compensatio
objicitur. l. 11. C. de compensat. filius quoque quod patri de-
betur recte compensat, modo caveat, patrem id non exacturum
l. 9. §. 1. ff. eod. Nec fidejussor compensare prohibetur id, quod
sibi vel reo principali pro quo convenitur, debetur l. 4. & 5.
ff. de compensat. Potest & procurator in rem suam compensatio-
nem opponere, non tantum post item contestatam l. 13. ff.
eod. sed etiam ante; quia & tunc loco domini est. l. 55. ff. de
procurat. Pignorumque persecutionem habet l. 6. & 7. C. de
O. & A. sed & ipsi cessionario compensatio opponitur, ne
alias debitori iniqua per cedentem inferatur conditio, arg. l. 4.
5. ff. de compensat. modo debitum reciprocum tempore cesso-
nis extiterit; tunc enim plus cessum intelligi nequit, quam
quod

I N A U G U R A L I S.

quod deducto eo, quod vice mutua debetur, supererat. Re-
conventionis autem de qua in l. 33. §. pen. de procur. diversa
ratio est, quia non ut compensatio, reconventio debitum ipso
jure perimit.

I V.

Illud porro nihil interest, quis sit creditor, privatus, an
fiscus aut Respublica, l. 12. ff. de compensat. l. 46. §. 4. ff. de jure
fisci. Nam & debitor fisci, vel Reipublicæ, compensare po-
test, quod sibi fiscus vel Respublica debet: dummodo non
compensem in causis exceptis 1. si privatus vectigal debeat, 2. si
debitor fisco ex victus vel annonæ causæ sit obligatus, 2. ex
causa tributi l. 46. §. 5. ff. de jure fisci, 4. ex alimentorum cau-
sa, quæ civitas pauperibus suppeditat, quo stipendia & deci-
mas clericorum referunt, 5. si pecunia statutis sumptibus ser-
vit, i. e. ad certos usus publicos pertinet, veluti ad refectionem
viarum, 6. si ex causa fideicommissi debeat, ubi & fisci
& testamenti favor concurrit l. 3. C. de compensat. 7. si quis à
fisco rem fiscalem emat. l. 7. C. eod. & d. l. 46. §. 5. de jur. fisci.
& pretium illud cum mutuo, quod sibi fiscus deberet, com-
pensare velit, 8. si sint diversæ stationes vel officia fisci, ne ea
confundantur l. 1. C. b. t. Stationes propriæ loca sunt sive man-
siones in quibus officia fiscalea sive officiales fisci consistunt
l. 1. C. ne fiscus rem quam vend. evinc. 9. denique quoniam ner-
vus Reipublicæ in pecunia consistit, privatus debitor, qui
mutuum ab ea sumvit, hoc compensare non potest. Hic vul-
go debitor ex Calendario appellatur. l. 3. C. de compensat.

V.

Ex jam dictis abunde patet hic ab utraque parte requiri de-
bitum; Illud autem nihil interest ex contractu oriatur, an ex
delicto l. 10. §. 2. ff. de compensat. l. 39. ff. solut. matrim. l. 36. ff.
de dol. mal. quatenus scilicet utrinque pecuniarie & civiliter aga-
tur.

DISPUTATIO JURIDICA

tur. d. l. 10. §. 2. Vide l. 13. §. 5. adleg. jul. de adult. adeo ut secundum Imp. Justiniani Constitutionem ipso jure procedat compensatio quoque in pecunario judicio, sive bona fidei, seu stricti juris, sive arbitrario, seu agatur in rem, sive in personam: sola excepta depositi actione, cui aliquid compensationis nomine opponi, iniquum creditit Imperator, ne sub praetextu compensationis, depositarum rerum quis exactione defraudetur. l. ult. C. de compensat. §. 30. Inst. de act.

V I.

Ut autem debitum compensari queat, oportet ut sit 1. verum 2. liquidum 3. purum & præsens 4. non alternativum & 5. illarum rerum, quæ compensari possunt.

V I I.

Primum igitur requisitum excludit omnia debita mere civilia, quæ stricto quidem jure civili actionem pariunt §. 1. Inst. de except. sed per exceptionem tamen perimi ac facile inutilia fieri possunt. l. 14. ff. de compensat. Ut obligatio ex negotio, metu, errore, dolo gesto d. §. 1. & seq. Inst. l. 36. ff. de verb. oblig. l. 7. ff. de dol. mal. except. vel ex alio nata, cui obstat exceptio pacti de non petendo l. 3. §. 1. ff. de const. pecun. Huc etiam recte referuntur debita naturalia, quæ à Jure Civili in totum destituuntur, ut obligatio ad ~~antidopu~~ l. 25. §. 11. ff. de petit. hered. ex testamento imperfecto l. 38. ff. de fideicommis. libert. §. 1. Inst. de fideicommis. hered. ad integra legata solvenda ab eo, qui lege falcidia uti potest. l. 5. §. 15. ff. de donat. inter V. & V. pupilli infantia majoris pr. Inst. de auct. tut. filii familias mutuam pecuniam accipientis l. 10. junct. l. 1. ad S. C. t. M. ced. mulieris fidejubentis. t. t. ad S. C. t. M. velle. veri debitoris absoluti l. 6. ff. de cond. indeb. junct. §. 5. Inst. de except. At illæ obligationes naturales, quæ ex parte tantum à lege destituuntur, licet ob denegatam in foro actionem exigi nequeant.

I N A U G U R A L I S.

queant, compensationi tamen locum faciunt. *l. 6. ff. de compensat.*

V I I I.

Secundo requiritur, ut debitum, cuius compensatio objicitur, sit *liquidum*, *l. ult. C. de compensat.* §. 30. *Inst. de act. de quo scilicet constat vel ex ipsa adversarii confessione vel ex causa judicati l. 2. C. cod.* aut quod ex instrumentis jam praesentibus satis appareat, vel alias absque altiori indagine à creditore probari queat. Tempus autem intra quod facienda sit probatio quum in jure expressum non sit, arbitrio judicis relinquitur. Præterquam quod in causa fisci duorum mensium spatium præscriptum sit. *l. 46. §. 4. ff. de jur. fisc.*

I X.

Tertium vult, ut debitum sit *purum & presens*, h. e. cui nec dies neque conditio adjecta est, & quod exinde debetur statim exigi possit. Nam, quanquam id, quod in diem vel sub conditione debetur, dari oporteat, antequam tamen conditio existit vel dies venit, nec cum effectu peti, nec compensari potest *l. 7. ff. de compensat.* Excipitur casus, quo humanitatis gratia tempus solutionis indulgetur *l. 16. §. 1. ff. cod.* aliquando etiam debitum per se quidem purum est, sed per indirectum in diem contractum intelligitur. Si enim quid certo loco promittatur, tunc tacite dies adjectus tantumque temporis debitori concessum censemur, quo dicto loco comode solvere possit *l. 41. ff. V.O.* Hoc tamen, habitâ ratione ejus quod interest destinato in loco solvi, recte compensatur. *l. 15. ff. de compensat.*

X.

Quarto requiritur, ut debitum *non sit alternativum*, tunc enim

3 DISPUTATIO JURIDICA

enim compensatio locum non habet, quam si adversarius jam dixerit, utrum voluerit, teste JCto, si debeat, inquit, decem aut hominem, utrum adversarius volet, ita compensatio hujus debiti admittitur, si adversarius palam dixisset, utrum voluisse. l. 22. ff. de compensat. quo in casu etiam speciem eligente adversario (cui hic ex conventione competit elec^{tio}, cum alias in alternativis elec^{tio} sit debitoris l. 10. §. fin. ff. de jux. dot.) hanc recte compensari puto; eo quod volenti non fiat injuria, & cum aliud pro alio creditori consentienti solvi queat, quidni compensari? cum haec solutionis vice fungatur; ut infra videbimus.

X I.

Restat ultimum requisitum, quod est ut debitum sit eorum rerum que compensationem admittunt; quales sunt res fungibles, quae in quantitate & quidem ejusdem generis l. 4. & 8. C. de compensat. ejusdemque qualitatis ac bonitatis arg. l. 3. ff. de reb. cred. consistunt: Nec refert, pecuniam utrinque debitam, alter utrum alteri sine usuris, alter usurariam debeat. l. 11. ff. de compensat. Sed & sit invicem sit usuraria pecunia, diversæ tamen sint usuræ, compensatio nihilominus locum habet ejus, quod invicem, debetur. l. 12. ff. eod.

X I I.

Hinc satis liquet rerum quae diversæ sunt quantitatis ut vi-
num cum oleo, nullam esse compensationem; quia aliud pro
alio invito creditori solvi nequit. pr. Inst. quib. mod. oblig. toll.
l. 2. §. 1. ff. de reb. cred. Nec speciem cum specie vel speciem
cum quantitate recte compensari. l. 13. §. 2. in fin. ff. de pign. &
hypoth. cum dispar sit specierum estimatio vel affectio. Quam
ob causam nec quantitas cum quantitate si tanquam species de-
beatur, veluti certi nummi, qui in arca sunt, compensari po-
test. l. 47. §. 1. l. 51. ff. de legat. I. Quod autem Imperator Ju-
stinia-

I N A U G U R A L I S. 9

stianus in *l. ult. C. de compens.* Compensationi locum facit in actionibus in rem, nec non in aliis ubi de restitutione specierum agitur, minus obstat videtur. Nam quatenus ibi de aestimatione pretioque rerum peremptarum & corruptarum, adeoque de pecunia queritur, compensatio exercetur, non quando species restituenda est. Nec dubium quin eo sensu in ipsa quoque depositi actione obtineat, quando tantum de praestatione pecuniaria ex causa depositi agitur. Idem de commo-
dato dicendum puto.

X I I I.

Effectus autem Compensationis primarius ac præcipuus est, quod statim quo alter alteri debere cepit obligatio ipso jure extinguitur §. 30. *Inst. de act. l. 4. & ult. C. de compensat.* Ita tamen ut is qui compensare velit necesse habeat compensationem objicere *l. pen. ff. & l. 2. l. 7. & ult. C. cod.* hoc est in judicio allegare quo iudicii constet utrinque deberi, cum is conjecturâ assequi nequit quid invicem debeatur vel non. Ex priori hoc effectu fluit secundus quod etiam accessiones obligationum perimantur: Unde sequitur, quod ab eo tempore nec debitor, nec mora debitoris intelligatur, respectu quantitatis compensatae: quodque nec pena, neque usuræ ejus nomine deberi possint. *l. 11. & 12. ff. de compensat. l. 4. & 5. C. cod.* Pignorum quoque & fidejussorum qui in securitatem ejus tenebantur, sit ipso jure liberatio *l. 3. ff. l. 12. C. b. t.* sublatâ enim principali obligatione accessoriā tolli necesse est. Tertius effectus est quod si is qui poterat compensare, per errorem solverit quod ab ipso petebatur, condicere poterit quasi indebito soluto. *l. 10. §. 1. ff. de compensat. l. 5. §. 2. ff. de impens. in rem dot. l. 30. ff. de cond. indeb.* Propterea quod compensatio vice solutionis fungatur *l. 4. C. de compensat.*

XIV.

10 DISPUTATIO JURIDICA

XIV.

Quartus igitur effectus Compensationis est quod compensatio sit pro solutione *l. 4. C. de Compensat.* & *l. 4. ff. qui potior in pign.* adeo quidem, ut qui juravit se soluturum, salva jurisrandi religione, nihilominus recte compenset. per. *l. 4. in fin. ff. qui potior. pign. l. 76. ff. de V.S.* Quintus effectus Compensationis est quod impedit executionem, siquidem in omni litis parte etiam potest sententiam compensatio opponi potest *l. 2. C. de compensat.* atque ita hoc in casu exceptio est a *l. 8. C. de except.* quae docet exceptiones peremptorias opponendas esse ante sententiam.

XV.

Quandoquidem Compensationi admodum affine est remedium Retentionis operae praetium erit quasdam hic inter Retentionem & Compensationem subjicere differentias.

1. Compensatio est pro solutione adeoque extinguit ipsum debitum *l. 4. C. de compensat.* & *l. 4. ff. qui potior. in pign.* Retentio contra non extinguit debitum sed eum in finem conceditur ut debitum solvatur *l. 26. §. 1. ff. de cond. indeb.* *l. 25.* & *26. ff. de procur.*

2. Compensatio si per errorem facti omissa sit habet locum repetitio *l. 10. §. 1. ff. de compensat.* si autem retentionis jus habens tradiderit, nulla competit repetitio. *l. 30.* & *51. ff. de cond. indeb.*

3. Compensatio sit per modum petitionis *l. 6. C. de compensat.* *l. 15. ff. ratam rem hab.* tantum autem abest ut retentio sit petitio, ut multi extent casus quibus quidem retentionem habemus petitionem autem non habemus *l. 51. ff. de cond. indeb.* Exempla sunt in *§. 30. Inst. de Rer. Divis.* *l. 14. ff. comm. divid.* *l. unic. C. etiam ob chirogr. pec.*

4. Compensatio sit ipso jure *l. 4. 10.* & *21. ff. de compensat.*
Reten-

I N A U G U R A L I S . II

Retentio vero fit oppositâ doli mali exceptione. *d. §. 30, 33.
& 34. Inst. rer. divis.*

5. Retentio sine possessione non procedit *l. 1. in pr. ff. de
pign. & hypoth. l. 29. §. 1. ff. de evict.* in compensatione autem
non desiderari possessionem inde patet quod & fidejussor com-
pensationem opponere possit de eo quod reo principali debe-
tur. *l. 5. ff. de compensat.*

COROLLARIA.

I.

Non dantur actiones origine mixta
partim in rem partim vero in
personam.

II.

*Filius familias de pleno adventitio peculio
non potest facere testamentum.*

III.

*Vendor non tenetur precise rem vendi-
tam tradere, sed potest se liberare pra-
stanto id quod interest.*

IV.

I V.

*Qui credidit ad refectionem navis non
habet tacitam hypothecam.*

V.

*Bonæ fidei possessor tam fructus, qui na-
tura, quam qui industria hominum
proveniunt, percipiendo suos facit.*

V I.

*Indebitum errore juris solutum repeti non
potest.*

V I I.

*Fidejussor in majorem summam acceptus
quam debet debitor principalis nullo
modo tenetur.*



VI